

*Locus affl.**Diffra intro vera
& not hanc pleu-
ritidem**Morbis.*

vitate, aut à communi consuetudine persuasus. Qui tamen id, quod est exactum, quærent; nostram
 probabunt sententiam. Est autem pleuritis lateris affectus, ut nomen ipsum ostendit, verum quo-
 niam multæ sunt in thorace partes, affectus primarius est membranæ succingentis costas, secundo
 verò intercostalium musculorum, ut symptomata docent. Sunt porro duæ membranæ circa costas,
 vna quæ peculiariter singulas ambit, quæ exterior à Galeno dicitur: alia, quæ internam superficiem
 thoracis constituit, quæ potissimum in pleuritide laborat. Eo enim quòd illa primo, & maxime af-
 ficiatur, exquisita, ueraque pleuritis censetur esse. Nam inter aliam membranam, & ossa non vide-
 tur colligi posse sanguis, & fieri inflammatio primario affectu. Quòd si muscoli ipsi primò inflam-
 mati ipsam membranam afficiant, pleuritis fit, quæ non exquisita, nec legitima dicitur, sed spuria.
 Parit autem inflammatio (ut de genere morbi dicamus) morbum in intemperie, & solutione conti-
 nui, non autem semper morbum in magnitudine, ut multi putant, qui triplex genus morbi in ea ne-
 cessario inueniri contendunt. Neque enim semper magnitudo loci affecti perinde augetur, ut pars
 instrumentaria ob illam cogatur deserere suas functiones. Accedit autem semper intemperies ob ca-
 lorem humoris, quæ naturales actiones labefactat; & solutio continui ex tensione, unde respiratio
 læditur. Cæterum differentias quasdam habet pleuritis ut morbus est, alias verò ut pleuritis est:
 est enim morbus magnus, acutus, continuus, periculosus, compositus, ordinatus, & inter eos,
 qui paulatim soluuntur: & nunc legitimus, nunc spurius: sic inter hyemales, aliquando inter ver-
 nales collocatur. Propriæ verò illius differentia ab essentia illius, causis, & effectibus ducuntur.
 Ad essentiam enim illæ pertinent, quum dicimus quandam esse veram, inflammationem scilicet ve-
 ram intelligentes, aliam non veram, quales sunt tumores ex flatu, aut pituita eos locos infestantes.
 Item quum dicimus quandam esse in principio, vel incremento, statu, uel declinatione, hæc enim
 quum à partibus ducatur, in essentia poni debet, sicut illa quæ à proprietate ducitur, quòd scilicet
 quædam benigna, alia verò maligna existat. A causis verò efficientibus ducimus eas differentias,
 quum dicimus quædam à calore, aliam à frigore, vel dolore, vel ab alijs huiusmodi occasionibus ex-
 citatam. Et quoniam efficientes requirunt modum in agendo, variaque est natura efficientium, si-
 quidem nonnullæ gignentes, aliæ iuuantes, & lædentes, aliæ augentes, uel conseruantes dicuntur;
 ob id nonnullæ ab istis fontibus resultant differentia. Veluti illa est, quod quædam per compres-
 sionem, alia verò per fusionem, vel expulsionem fit nata, docet enim hæc generationis modum, gi-
 gnit autem calor, frigus, & alia huiusmodi, de quibus in causis agemus, quæ & augent, fouentque
 affectum; à quibus differentia quoque peti possunt. Quædam enim augentur, fouentur, lædun-
 turque à frigore; hæc scilicet quæ à frigidis sunt excitatæ, aliæ verò à calidis, nimirum illæ, quas ca-
 lor peperit. Sunt & inter iuuantes, quæ morbum soluunt, differentiaque capiunt à diuersitate eo-
 rum quæ opitulantur, solutionisque modo. Nam inter illa, quæ soluunt, quædam alterantia sunt,
 alia vacuantia, alia alterius generis, quæ quidem conferunt, uel quòd digerant materiam, aut con-
 coquant, aut per alii fluxum, aut sudorem, aut alio modo eam vacuent, vel quòd ad abscessum
 perducant, vel aliter conferant. Proueniunt & à causa materiali differentia, qualis ea est, quum di-
 cimus pleuritidem quandam esse, quæ fit à sanguine puro, aliam verò ex mixto cum aliquo humo-
 re. Præbet & suas differentias causa quæ subiectum vocatur, sic enim dicimus quandam esse pleu-
 ritidem, quæ membranam ipsam primario; aliam quæ secundo; aliam quæ superiores, aut me-
 dias, vel infimas, vel dextram, aut sinistram, aut omnes partes pariter occupat. Finem spectamus,
 quum dicimus quandam esse lethalem pleuritidem, aliam salutarem: cuius generis illa quoque puta-
 ri potest, quando dicimus quandam breuem esse, aliam longiorem; quæ scilicet breui temporis spa-
 cio, aut longiore ad finem properat. Quum verò dicimus quandam esse, quæ vehementes dolo-
 res, vel mitiores, vel delirium, aut sitim, aut syneopen; aliam quæ neruorum conuulsionem, uel ali-
 ud malum adfert, ab effectibus differentia sumimus. Atque hæc quidem de differentijs sufficienti;
 ex quibus reliqua eiusdem generis facile intelligi poterunt. Nunc accedo ad causas pleuritidis, &
 differentiarum illius. Itaque si pleuritis inflammatio est, hæc autem tumor est, qui ex materia in
 parte collecta nascitur, causam unam immediatam habebit; materiam scilicet in parte laborante re-
 dundantem. Est autem materia inflammationum sanguis vel solus, si ea exquisita est, vel cum alio
 humore mixtus, veluti pituita, bile vtraque, & seroso humore. Ut plurimum tamen à sanguine bi-
 lioso fieri solet: hic enim facilius membranam afficere, & coniunctam cum costis separare ob suam
 tenuitatem, & caliditatem potest. Ex sincero autem alio humore fieri nequit, si modo inflamma-
 tio omnis materiam habet sanguinem. Est porro sanguis materia, ex qua pleuritis fit, & efficiens
 constituensque causa. Nam ex illo inflammationem fieri, & sanguinem inflammationes facere, &
 constituere dicimus. Cæterum collectionis humorum in aliqua parte causa vel congestio est, quæ
 paulatim fit; ex qua frigidi, & duri tumores procreantur, vel fluxio, ex qua calidi, & laxi tumo-
 res frigidi nascuntur. Erit ergo fluxio causa ipsius inflammationis acruans scilicet humorem, ex
 quo illa constat. At quum fluxio motus quidam fit, aut sine motu non fiat; necesse erit esse, quod
 moueatur, unde incipiat motus, in quem finiatur & per quem fiat: aliud præterea, quod mobile
 moueat,